

Observator autem hujus nostræ ammonitionis & jussionis habeat benedictionem omnipotentis Dei, beatorumque Apostolorum, & nostram, qui eorum fungimur vicariatione. Sancta Trinitas fraternitatem tuam omni tempore conservare dignetur incolumen, atque post hujus Seculi amaritudinem, ad perpetuam ducat beatitudinem. Scriptum per manum Gregorii Notarii atque scriniarii sancti palatii, in mense Novembrio Indictione V. Data per manum Johannis Cancellarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, peractis missarum celebrationibus ante altare beati Petri Apostoli.

I O.

891 i Maj.

Påfv. STEPHANUS VI:s fullmakt, jemte Pallium, för ADALGARIUS att vara Ärke-Biskop i Hamburg efter RIMBERT.

STEPHANUS Episcopus, servus servorum Dei, Reverendissimo & sanctissimo Adalgario sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo & confratri meo, & post te in eadem Ecclesia in perpetuum. Cum piæ desiderium voluntatis & laudandæ devotionis intentio Apostolicis sit semper studiis adjuvanda, cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea, quæ legaliter geruntur, & æquitatis formæ convenient, nulla valeant refragatione perturbari, sed irrefragabili jure, Deo auctore, debent permanere, & ob hoc Apostolicis promulgatis sanctionibus, propria unicuique, quæ rationi suppetunt possidenda, fas exigit confirmari, & quem postulasti, ut privilegium tuæ faceremus Ecclesiæ, & Apostolica tuitione roboravisset, eandem in pristinum totum manere concedimus, & Apostolico jure firmamus, tibi tuæque sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ successoribusque tuis illam dignitatem, & fines proprios cum prædiis omnibus & parochiis, & omnibus rebus mobilibus & immobilibus, cum mancipiis utriusque sexus possidere & tenere, quum piæ memoriæ Gregorius antecessor noster, Ansgario antecessori tuo, quem Archiepiscopum ordinavit in Ecclesia tua, concessit, stabilito scilicet jure, & Ludovicus ejus filius tuam voluerunt habere Ecclesiam & Imperiali definierunt potestate. Decernimus autem, ut potestatem habeas ordinandi Episcopos infra tuam parochiam & diocesin, ita tamen, ut sub tua, tuæque Ecclesiæ salva dignitate, ipsius maneant potestate. Si quis autem contra hujus nostræ auctoritatis privilegium ire temptaverit, & quomodo, in parte, vel in toto frangere nisus fuerit, sit excommunicatus a corpore & vivifico sanguine Domini nostri Jesu Christi & sanctæ Dei Ecclesiæ aditu & conventionem separatus. Observator autem hujus nostræ admonitionis & jussionis habeat benedictionem omnipotentis Dei beatorumque Apostolorum, & nostram, qui eorundem fungimur vicariatione. Scriptum per manum Johannis Secretarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ. In mense Majo. Indictione undecima.